

E libris  
**gymnasio Mauritiano Magdeburgensi**

a venerabili

**Carolo Funk**


theol. doctore et gymnasii directore

a. 1857 hereditate relictis.

*J. q. 261.*







3 16.  
INTEGRITAS  
TEXTVS ORIGINALIS

**J O B I**

CONTRA  
**JOH. CLERICI**

ACCVSATIONES  
VINDICATA

---

PRAESIDE

**FRANCISCO WOKENIO**

S. THEOLOG. L. LL. ORIENTALIVM PROF.  
PVBL. ORD. ET H. T. ACAD.

**RECTORE**

---

D. XXIII. AVG. M. DCCXXXII.

IN AVDITORIO MAXIMO

HORIS SOLITIS,  
MODESTAE DISPVATIONI  
SISTITVR

A

**BENIAMINO** *Francen, Lubena - Silesio*

SS. THEOL. STUDIOSO.

---

WITTENBERGAE  
EX OFFICINA SCHLÖMACHIANA.

INTEGRITAS  
TEXTVS ORIGINALIS

J O R I

COPIA  
JOH. CLERICI

AGGREGATIONES

PR. RESIDE  
FRANCISCO WOKENIO

IN THEOLOG. ET ORIENTALIVM TRON  
P. P. O. P. P. A. G. A. D.

RECTOR

IN A. D. T. O. R. I. O. M. A. X. I. M. O.

M. O. T. T. & P. R. A. V. I. T. O. N.

BENIAMINO

ANACHANA





הי  
PRAEFATIO.



Ir per multos jam annos celeberrimus, vereque πολύγραφος & Polyhistor, futuris quoque temporibus inclutus, JOH. CLERICVS, Gymnasii Arminiani apud Amstelodamenses Professor, hodie emeritus, qui a multis jam lustris, in omni fere eruditionis genere tot libros edidit, quot varii ne quidem possident, jam cygneam quasi cantionem editurus suam, *Commentarios in Hagiographa & Propetas*, 1731. denum cum eruditis communicavit, senio gravis (1657 natus) & viribus prostratus. Sed cum in hoc

A 2

Viro

Viro, diu jam & saepe, eruditi duo desiderarint, quod *a*) in Theologia non melioribus partibus addictus, variis sit praediciis praecipuus & *b*) praeterea iusto liberiori studeat Critica: dolemus, ne hanc quidem cygneam cantionem hisce malis carere, quamvis paulo moderatius & hic se senex gerat. Testes hujus asserti mei varios producere ex his Commentariis locos valerem. Sed unus alterque satis hoc probabit. Is, qui Praefationem praemisit, utrumque non obscure fassus est, Clericum & in Theologicis & in Criticis rebus nova subinde sectari. En quaedam Viri verba: *Non equidem improbrata nobilitatis μαγουλονείω, quo vulgus tantopere movetur, se deterreri passus est, quin a vitia vita recederet, quandocunque illa non satis tuta videbatur. - - - Nisi exsuscitarent Viri, μεγαλόφρονες, qui spretis Vulgi clamoribus, ausi sunt, recta ratione Duce, veritatem, in puteo latentem, investigare; in luto adhuc haeremus innumerarum opinionum praedicatorum, nec tantum incertarum, sed etiam manifesto falsarum, immo & absurdissimarum.* Legant, B. L. etiam scripta haec *Cel. Clerici*: videbunt, me non falsa dixisse. Sic e. gr. *Pf. secundum proprie de Davidis inauguratione, & v. 7. nequaquam de generatione filii Dei aeterna, exponere vult, p. 187. a. nec v. 12. de adoratione Ch. exponi, concedit, (p. 188.)* item

*a*) Conf. *Cel. D. D. DEYLINGIUM* in *Obs. SS. passim*, aliosque.

*b*) Conf. *Cel. D. D. H. C. ENGELKEN* *Inaug., an Ανθεωποταθείαι sui vestigia gentilismi*, nec non *D. D. P. BERGERUM & MICHELVUM* in variis dispp. ut & *Dn. von Lünem* in *tr. de Hyper-critica Job. Clerici*.



item *Psalum XXII.* (p. 234.) de Davidis calamitatibus, & *Pf. XL.* (p. 281. 6.), *Psalum LXVIII.* (p. 355. *sqq.*) de deductione arca in montem Zion, non de adscensione Christi ad caelos, *Prov. VIII.* totum de sapientia, per *περσοπολιταν*, ut personam proposita, non de filio Dei, nec quidem *v. 22.* (p. 574.) interpretatur, *Prov. XXX. 4.* (p. 665.) nullo plane modo de *secunda Trinitatis personae* accipi debere, censet. *Canticum Canticorum* de puella quadam, a Salomone adamata (p. 727. 4. *sqq.*) interpretatur, *Jes. VI. 3.* non de S. Trinitate (p. 32. 6.) e. *VII. 14.* non literaliter, sed saltem sensu quodam mysticis, de nativitate Christi (p. 28. 4. *sqq.*), nec *Jes. LIII. 4.* de vicaria satisfactione Christi pro nobis (p. 245. 4.) nec *v. II.* de gratuita justificatione per fidem in meritum Christi, nec *Jes. LXIII. 1. sqq.* (p. 288. 6.) de officio Ch. Sacerdotali, accipi concedit. Et quae sunt alia. Interim tamen varia adsunt docta, varia egregia, quemadmodum recte adstruit, e. gr. *Psal. CX. Jes. XI. LIII. Jer. XXIII. 4. sq.* de Christo agere. Equidem Viro doctissimo, quavis, quoad animam & corpus, fausta, tranquillam senectam, aeternamque salutem, apprecor; vitio tamen mihi vertere haud poterit, quod veritatem, ubi Critica licentia, aliisque praedictis, a vero est abruptus, annotem, cum hoc veritatis studiosum, Christianum & Theologum maxime deceat. Praecipue id impresentiarum, sine bile, expendam, quod *Vir. Celeb.*, ne in his quidem ultimis suis laboribus, textum Hebraeum integrum & incorruptum credit, sed quaedam pariter dicta

dicta S. codicis corrupta credit. Ferendum hoc æquo animo non est, tempore hoc nostro, quo empactarum leges uberrima, qui, quantum in se, certitudinem Christianismi, ipsiusque S. scripturæ, dubiam reddere, satagunt. Ipse Cel. CLERICVS, (licet minime etiam satis in hac nobis faciat) in ARTE CRITICA *supra* P. III. Sect. 1. c. 17. p. m. 257. sqq. leges emendandi traditurus, has tradit: 1) *Si quid mutetur, mutationem res ipsa, orationisve series, stylusve scriptoris NECESSARIO postulato*, p. 258. §. 3. & §. 4. p. 259. addit: *Igitur, si quid accurrat, quod a lingue ingenio, stylove scriptoris, prorsus non abborreat, nec a sententia, serieve orationis sit alienum: nulla est causa, consentientibus MSS. omnibus codicibus, veteribus editionibus, translationibusve, quicquam mutetur, præsertim si mutatio paullo major sit. Ut alia taceam, translationes abesse debuissent, ex quibus de textus integritate judicari non potest. Interim *ναρὰν ἀνδερωτον, Viro Cel.* aliquid mutare volenti, translationes antiquas opponere poterimus: 2) *Omnis emendatio lingue ingenio, aut scriptoris stylo consentanea esto*, p. 270. Si itaque Cel. Viri emendationes his non conveniunt; vel ideo rejiciendæ erunt. 3) *Ratio depravationis, si fieri potest, redditor*, p. 277. 4) *Nec ulla emendatio a lectione veterum codicum nimium recedito*, p. 282. 5) *MSS. codd. non suspecti, aliis præferuntor*, p. 290. Hæ vero tres regulæ huc præcipue non spectant. Non *tertia*, quæ saltim modum, emendationem aliquam proponendi, suppeditat. Non *quarta*, quæ in profanis nequidem, nisi*

nisi variis sub limitationibus, admitti potest. Nec *quinta*, quæ clare supponit tantum maculam quandam particularem, ex antiquis codicibus restituendam, & docet, quem ex differentibus codicibus sequi debeamus. Hic vero de corruptione universali sermo est. 6) *Loco MSS. Codd., veterum citationes, ac veteres translationes, adhibitis certis cautionibus, sunt, p. 294.* Fatetur vero *Cel. Clericus*, versiones omnes errasse haud raro, quod index horum suorum Commentariorum in vocibus, *Aquila, Hieronymus, septuaginta interpretes, Theodotion, Vulgatus &c.* docet. Quomodo itaque versiones & Auctores alii antiqui, sæpe erronei, sæpe ex levi conjectura vertentes, norma emendationis essent? Interim & hæc regula κατ' ἀνθρώπων Virum Cel. stringit, cum antiquæ versiones & citationes textui favent, ipsique repugnant. 7) *De omnibus in notis monere licet; & nulla, nisi manifesta, aut ex MSS. codd. hausta lectio, in contextum orationis refertur.* Agit & hæc regula tantum de modo. 8) *Conjectura omnes modeste proponuntur, sin minus, doctis ludibrium debent.* Vri etiam hæc saltem modum concernit; tantum nobis usui esse potest, ut cogitemus, an V. C. satis modeste & pie, his in conjecturis suis, erga S. Scripturam, se gesserit. Hæ sunt regulæ, quas *Vir Cel.* emendationis nomam olim proposuit. Nos, qui nullum in textibus originalibus errorem agnoscimus, eas statim in limine repetere volumus, quo in ipsa disputatione, subinde per eas Viri Cel. conjecturam, etiam ad hominæm disputando, magis coerce-

amus. Hic itaque, Deo iuvante, aggrediar dicta ipsa, *quæ in JOBI libro corrupta credit*, ostendamque, nulla nos vel necessitate, vel ratione solida, eo adduci, ut errores in textu divino agnoscamus.

### JOB. V. 21.

*Flagellum lingua* offendit Virum Cel. in hoc loco. Licet enim fateatur, sensum convenire, sive וישׁ habeas pro Nomine, *flagellum*, sive pro Infinitivo, *vagari*, h. e. in *vagari*, sive, *cum vagatur lingua*; in suo tamen in *b. l. Comment. p. 21. 6.* addit: *Nihil equidem melius video, nec cupio quidquam in textu mutari, in vitiis Codicibus Masorethicis, iisque, quibus usi sunt Vett. Intt. Fateor tamen, utramque loquutionem duriores mihi videri, nec scio, annon ante LXX. Intt. tempora mendum in nostrum locum irrepserit. Si pro voce וישׁ vox hic esset, quæ LATRONES significaret, sensus esset apertus, & sequentibus verbis consentaneus; sermo enim esset de vagantibus latronibus. Sed quæ vox hic esse posset, fateor, me nescire. Hebraice dicere possis: בִּשְׁחֹר הַשְׁחֹדֶד, cum vagatur devastator. Sed conjecturis indulgere non licet. Regula vero emendandi prima, quam sibi præscripsit Cel. CLERICVS, nimium ipsi hic obstat. Nulla hic est necessitas, quæ mutationem juberet. Nihil melius se scire, fatetur. Saltim sibi duriores videri locutionem, caussatur. Verum inde nulla suboritur necessitas. Quod enim mihi durum videtur, alteri forte tale non videbitur. Forte durum hoc ipsi visum est, quia*

ad

ad ingenium potius linguæ Latinæ respexit, quam Hebrææ. Emollient etiam, nisi fallor, sequentia orationem apparentem illam duritiem. Repugnat regula ejus *quarta*. Faretur enim ipse Cl. Vir, cum Hebræo agere Codices Masorethicos, hoc est omnes Judæorum, quos habemus, immo ipsos famofos illos Græcos Interpretes. Et nulla etiam inter לשון & שורר est convenientia, vel litterarum, vel soni, ut vel ab audiente, vel vidente amanuensi potuissent confundi. Reclamat regula *sexta*, quia *לXX*. versio & HIERONYMI expositio nobiscum agunt. Quare etiam subtrimidius hic agit. Nec alius se hæc conjectura probabit. Dubia facile evanescent. Dura hæc phrasis לשון בשוט Hebræis auribus non est, sive vertas: *a flagello lingue absconderis*, similive quadam ratione, שוט *flagellum* vertas, sive illud tibi sit Invenitivus: *in vagari linguam*, h. e. *cum lingua vagatur*. Si illud placet: non magis durum est, maledicæ linguæ tribui flagellum, quo, maledictis alios cædendo, ut flagello, lædit; quam, quando linguæ maledicæ tribuuntur *לצי חרב חרה חרה* sagittæ acutissimæ, quales heroës habent, *פ. CXX. 4.* Et impiorum linguæ sunt *לצי חרב חרה חרה* *gladius acutus* *Pf. LVII. 5.* & *לצי חרב חרה חרה* *sagitta intersectoris* *Jer. IX. 8.* Cum itaque lingua, propter maledicentium læsiones, conferri potest gladio & sagittis: facilius sane, & sine duritie quadam collationis, assimilari etiam poterit flagello: quia, cui majus potest in eodem Genere tribui, ei etiam minus tribuetur adhuc facilius. Conceditur vero, quod hoc loco illud flagellum linguæ metaphoricum

B

ricum

ricum appelletur, quo lingua maledica adeo graviter nos ferit, ac si flagello caderemur, nempe calumnia & maledicentia linguæ. Quodsi vero רֹעַ וָשׂוֹן tibi est *In-finitivus*, & sensus, *in vagari linguam*, sive, *cum lingua vagatur*: ne sic quidem duri quid & ab ingenio linguæ S. abhorrens, adest. Profopopoeias in S. litteris creberrimas dari, Cel. CLERICVS ad *Prov. VIII. 22.* contendit. Vagatur vero mala lingua, cum, quam impiè excitavit innocentibus, fama mala, totam pervagatur urbem. Vanum etiam illud est, quod *Vir. Cel.* putat, suam demum emendationem cum sequentibus, totoque contextu, amice conspirare. Longe secus res se habet. Si hic diceretur, quod tutus sit pius, cum vagatur interfector: vix a tautologia liberari locus posset. Per devastationem enim intelligit hostium malitiam, qua nos interimere student. Exigua hic est utriusque differentia. Nec, si idem bis diceretur, recenserentur h. l. *septem*, sed tantum *sex* mala, contra *v. 20.* Optima vero est gradatio, quod nec calumnias, nec hostiles devastationes, extimescere debeat pius. Testimonia etiam antiquissimarum versionum, quas V. C. codicibus MSS. æquiparabat, nostra habet lectio, cum contra ea suspicio Clerici omni destituatur teste. Ipse largitur, *Masoram & LXX. Interpret.* nobiscum agere. TARGVMISTA jam suo tempore וָשׂוֹן in textu legit, quod suum וָשׂוֹן וָשׂוֹן *in lesione linguæ*, extra dubium ponit. Totius etiam, quantum patet, Ecclesia Judaicæ consensus, hoc וָשׂוֹן agnoscit, c. g. ABEN-ESRA, & alii, uti & in versione sua

sua Jedai expriment: Gegen die Ruth der Jungen etc. Tandem, si nec hoc placet, nova, ex Arabico *ع*, *inique egit*, & conjugatis, a KROMAYERO in *L. de usu L. Arab. p. 105.* deducta vocis *טו* significatio, longe facilius admitteretur, quam corruptio. Sensus tum esset: *cum lingua inique agit, s. calumniatur, tutus eris.* Hæc omnia alienam Viri Cel. correctionem dicent.

## JOB. XX. 20.

Vir Cel., reprobans aliorum Exegeses, scribit: *Itaque vertendum judicavimus, quasi scriptum esset, non נכחד קיטנו nichhad kimmanu, sed נכחדו קמינו nichhadu kamenu, unius litterule additione (qua etiam carere possemus), & alterius transpositione.* Primo aspectu hæc emendatio levioris momenti, & priori tolerabilior, videri posset. Nihilominus tamen in S. textum injuria est, si vel, ob alias in S. codice non occurrens vocabulum *קי*, aliqua se ratione exornare valeret. Quoniam enim additione & transpositione vel unius litterulæ, in lingua Hebræa voces alios aliosque sortiuntur significatus: res adeo levis videri non potest. Et, quoad primam *Cl. Clerici* regulam, nulla hic datur *necessitas*, aliquid mutandi; datur potius necessitas credendi, divinam providentiam non permissuram fuisse, ut corrumpatur medium salutis nostræ, verbum suum. Nullam necessitatem corruptionis infert, quod hæc forma semel tantum occurrat. Hospes siquidem esset, non

in lectione, non solum Bibliorum, sed etiam aliorum bonorum librorum, in illis linguis, quæ hodie dicuntur mortuæ, qui ignoraret, largam, in omnibus fere hisce linguis, extare segetem formarum semel tantum hodie occurrentium. Nemo autem hæcenus ita judicare est ausus: Hoc vocabulum alias non reperitur: igitur necessario corruptum est. Et forma quidem קימ ipsum Fœmininum suum קימרת in *Thren. III, 63.* in קימת, suæ integritatis testem habet. Ut, si utrumque Nomen Substantivum crederemus, multo adhuc infirmius colligeretur: קימ in *Masc.* alias non adest, licet *Fœm.* קימת adsit: igitur est corruptum. Immo, si utrumque dicis *Infinitivum* in *Hipbil*, ubi (quod *Verbis mediæ cævæ* sæpe contingere, notum est) *Præformativum* קימ est abjectum; alterum quidem nudum, alterum cum קימ Paragogico, quod ante Affixa aliquando manere & in קימ transire, vel ex WASMVTHI *Hebr. rest. R. 16. M. 2. n. 4. p. 64.* videre possiet, qui hac de re dubitaret: ne quidem admittes, קימ semel tantum occurrere. In *Threnis* adjectum קימת hanc sententiam comprobat; & nostro in loco sensus oritur maxime conveniens contextui. Justi dicunt: *annon excisum est, & excitare contra nos, s. hostium illa malicia, qua, quantum in iis, quodcumque contra nos excitare consueverant.* Nec obstat huic quod קימ non sit ordinarium *Infinitivorum Suffixum*; Sed קימת. Nam vel WASMVTHVS talia affert



affert exempla, ubi *Infinitivi* habent Suffixum cum Kamez קָמֶז. Nec rationes, quas, pro sua conjectura, Cel. CLERICVS profert, ullius sunt ponderis. Opponit 1), durius esse, קִימְנו exponere, quasi legeretur קִימְתָנו. Si hæc vero omnium, vel minimum meliorum, interpretum esset interpretatio: non nisi κατ' ἀνδραγαθον aliquid efficeret. Jam vero mihi hætenus ne quidem adeo licuit esse felici, ut vel unicum, præter COCCEJVM, invenirem, qui dixisset, קִימְנו stare pro קִימְתָנו. Aërem itaque hæc feriunt, quando aliis, quam Cocceji asseclis, objiciuntur. S. SCHMIDIVS in h. l. novam plane habet exegesis, quod קִימְנו sit *Prat. Hipbil.*, h. s. *excisus est*, qui nos sustinuit; alii aliter. Objicit 2), קָמִי, קָמִי alias notare *insurgentes, insurgentes contra me*. Sed res, bene quidem se haberet, si de 'ק & 'כ' foret sermo, utrum foret eligendum. Jam vero nulla valet consequentia: קִימְנו alibi sunt *insurgentes contra nos*: ergo h. l. pro קִימְנו debet restitui קִימְנו. Pergit 3), נִכְרָד in *Singulari* retineti posse, cum *Enallage* sit usitatissima. Vident sic Lectores, quis jam Enallagarum regnare incipiat abusus, jam antea a me improbatus. Me iudice, Enallagas varias in S. textu credere, est, ignorantiam suam profiteri. Nullam in toto S. codice admitto. Et, si aliquos adeo antiqua oberrare chorda deprehenderet *Clericus*; nondum tamen satis firmata foret conjectura. Frustra etiam, pro adstruenda Enallaga, excipit, Enallagen hic locum necessario habere, α), quia non de uno

hoste est sermo. Nam א) N. V. C., cum Singularis  
 distributivus alibi saepe occurrat. Conf. tr. *memm con-*  
*tra ENALLAGAS HEBRÆAS p. 50. 72. &c.* ב) Supponi-  
 tur, quasi קימנו in textu legeretur: & sic petitur Princi-  
 pium. ג) Expolitio jam allata, quod קימנו sit Infiniti-  
 vus, ne quidem Verbum Plurale admitteret. Nec ea  
 illud requirit, quæ קימנו per *substantiam nostram* expo-  
 nit. Excipit ב), quod in יתרוו sit *Suffixum Plurale*.  
 Sed N. V. C. Nam *vel hoc קימנו habebis pro Inf. h. f.*  
*Annon excisum vò excitare contra, nos, h. e. hostium ma-*  
*litia: & residuum eorum (excitantium bellum contra*  
*nos) absumsit ignis. Vel קימנו tibi est substantia nostra,*  
*vel resurrectio nostra. Et sic forsitan hunc loco tribuis*  
*sensum: Annon periit substantia nostra, cum antea nobis*  
*omnia eriperent; vel ipsa resurrectio nostra, cum adeo*  
*nos debilitarent, ut resurgere, contraque ipsos nos de-*  
*fendere, haud potuerimus? Sed residuum eorum jam ignis*  
*absumsit: nil inde luci nacti, sed potius poena ideo affe-*  
*cti sunt. In nulla expositione Verbum Plurale requi-*  
*ritur. Solutis sic C. V. dubiis, addo modo, nostræ le-*  
*ctioni patrociniū etiam in antiquissimis versionibus*  
*adesse. CHALDAEVS, dubio procul, hoc קימנו Infiniti-*  
*vum Hipbil credidit, quia reddidit: אין לנו חרמנו*  
*מלמקונוannon succissi sunt ab insurgere, h. e. ut resur-*  
*gere imposterum nequeant. מלמקונו enim esse,*  
*cum duplici Præfixo, Inf. Piel, vel ex OPITH Chaldaic-*  
*mo p. 105. discere, qui ignorant, possunt. Græcorum*  
*etiam, quos vulgo LXX. Interpretes vocamus, versio,*  
 licet

licet erronea, ex lectione nostra orta est, cum Autor  
ejus עָבַר pro עָבַר legeret: ἀντὼν. Taceo alios.

## JOB. XXVI. 22.

Antea jam in *tr. contra Enallagas Hebræas p. 17.*  
*sq.* de hoc egi loco. Jam vero Cel. CLERICVS inte-  
gritatem ejus ingenti molimine sollicitat. Vel enim  
ב e voce ברוּרוּ abjiciendum dicitur, ut sensus sit, *spi-*  
*ritus ejus ornavit cælos*; vel ה ex שפּררוּ, h. m. *Deus*  
*ornavit cælos spiritu suo.* Ne vero hæc gratis asseru-  
isse videatur, rationem non unam adducit. 1) Con-  
tendit, tertiz Personæ Masculinæ Præteritorum non  
addi ה demonstrativum, ne confundatur cum Foemi-  
nino. Hæc speciem habent. Sed hoc facile illi dubi-  
um solvunt, qui vel cum DRVSIO *in schol. in Job. p.*  
*m. 588.* MERCERO *in b. l.* & aliis, asserunt, שפּררוּ  
esse Radicem quadrilateram, uti *Jer. XII. 5.* וְתַרְרֵנוּ  
& notare, *ornare.* Effungunt pariter telum, qui cum  
COCCEJO, & S. SCHMIDIO, ex *hemistichio sequ.*  
וְתַרְרֵנוּ repetunt: *manus ejus per spiritum ejus ornavit cælos.*  
Nec ferit telum eos, quibus שפּררוּ est Nomen, pulchri-  
tudinem notans: *per spiritum ejus sunt cæli pulchritu-*  
*do,* h. e. pulcherrimi, per *Abstractum pro Concreto.*  
Quod Genus loquendi, S. Scripturæ tritissimum (Conf.  
*L. m. contra Ellipses Hebr. in indice v. Abstract.*) durum  
non debuisset dicere *Cl. Clericus.* Solos illos hoc tan-  
git, qui cum R. AB. ESRA statuunt: הוּא נִסְפָּה  
וְעֵינֵינוּ תִקַּן מִן שֵׁפֶר *est Paragogicum.* Sed hi negant Re-  
gulam

gulam eam esse universalem, cum e Biblico usu constet formas easdem aliquando diversos habere significatus; ex quo patet, quod non adeo solícite Hebraei evitent formationes convenientes specie, non re ipsa, e. gr. *הרה* *concepit*, *הרה* *gravida* &c. Opponit 2) sequentia: *cum certus linguae usus repugnat receptae lectioni, sensusque expediri aliter non potest, nisi levi mutatione, non video, cur in versione, aut in notis fieri nequeat; quamvis ipse sensus (textus, scribere voluit) non sit mutandus, ne licentia irrepat.* Respondeo  $\alpha$ ), si *שפרה* Nomen est, formae *הרה* nil dubii est, quin certus linguae usus id velit; nec regula, de  $\eta$  Paragogico, adeo certa est universalitas.  $\beta$ ) Aliter, quam *Cl. Clericus* vult, dubium non una ratione expediri potest, ut jam ostendi.  $\gamma$ ) Si levi mutatione error in S. codicem irrepsisse diceretur, corruptus diceretur.  $\delta$ ) Non bene consulit reverentiae S. codicis, qui in textu quidem actu nil mutat, sed in notis tamen monet, eum in mendo jacere, & necessario mutari debere. Satis enim patula sic licentiae aperta est janua, omnem certitudinem textui originali auferendi. Omni tandem 3) nervo caret argumentum, quod *Vir Cel.* integritati textus, hoc loco opponit. Afferit enim erroneam *LXX. Intt.* versionem, & addit: *Quae quidem lectio vitiosa est, seu sit e codice, quo utebantur, desumpta, seu ex eorum conjectura; sed ostendit, ut & aliae innumerae, sat vitiosos fuisse eo tempore codices Hebraeos, aut certe iis visos esse, mendis minime carere.* Est vitium in Forma. Si enim  $\alpha$ ) ex Majori disjunctiva certo quid inferre vo-

lo,

lo: reliqua membra antea solide infringere debeo. Sed id nec probare poterit, nec volet, quod interpretes Græci illi, non ex conjectura verterint, cum sapissime id adfruat ipse, vel his in *Commentariis*, ut ex *indice* patefcir. β) Major laborat insufficienti membrorum enumeratione: datur enim tertium: vel ex incuria (ob sequens forte כריו) erronee legerunt. Si vero γ) Conclusionem disjunctivam vult: N. V. C. Si vel ita legerunt, vel ex conjectura ita sensum textui, a se non intellecto, indiderunt: ergo vel erroneos habuerunt codices, vel suos crediderunt corruptos esse. Potuerunt enim, non intellecta, genuine licet scripta, e conjectura vertere; vel verbo, vel integræ phrasi, alienum sensum tribuere, & sic exprimere, non quæ legerunt, sed cogitarunt; quod sæpe videmus ab interpretibus fieri. Meo quidem iudicio, Græci illi eundem legerunt textum Hebræum, quem nos; sed non satis intellexerunt. כרוי habuerunt, nisi fallor, pro Participio Paul, Radicis כרוי *fugit*, quare sibi conceperunt: *fugitivos ejus*, sc. qui Deum timet. Inde est δαδίασιν αὐτόν. Et שפרו Nominali significatione quidem acceperunt; sed cum viderent, *Abstractum*, *pulchritudinem*, poni pro *Concreto*, κλειθρα (πλειθρα enim in Clerico est mendum typographicum) sive *claustra cæli*, pulchros illos fornices cæli, vocarunt. Habes textum integre lectum, sed erronee intellectum. Nec κλειθρα, nec πλειθρα כרוי בריו s. vestes notare posset.

C

JOB.

## JOB. XXXII. 12.

Cel. CLERICVS ad *b. l.* scribit: *Forte legendum*  
 עליוכּ, ut *c. XXXI.* כּוּר אֲתוֹכּוֹן עַל בְּתוּלָהּ *quid*  
*advertissem in virgine.* Facile hoc dubium amovetur.  
 Adeo enim nulla est necessitas, ad corruptionem S. co-  
 dicis confugiendi, ut ipse V. C. incertissimus adhuc sit,  
 an forte aliter legi deberet. Nec valet collectio,  
 quam format. Nam כּוּר אֲתוֹכּוֹן construitur diversimode:  
 aliquando sine omni Particula, uti *Jes. 1. 3. LII. 15. &c.*  
 aliquando cum כּ, uti *Job. XXI. 20. Jer. XXIII. 20.* ali-  
 quando cum מ, ut *Pf. CXIX. 100. 104.* aliquando cum  
 אֵל, vel הּ ut *1. Reg. III. 21. Jes. XIV. 17.* Bis tantum, si  
 recte numero, cum על *Job. XXXI. & Pf. XXXVII. 10.* Bis  
 etiam cum עַר, h. l. & *Job. XXXVIII. 18.* Quæ itaque  
 esset ratio, quare ad corruptionem textus confugerem?  
 Præcedens עַר textui etiam succurrit.

## JOB. XXXIII. 3.

Ad hunc locum Cl. CLERICVS hæc annotat, in-  
 tegrityati S. textus adversa: *Videtur legendum כּוּר אֲתוֹכּוֹן*  
*brourah, cum כּוּר אֲתוֹכּוֹן dahat sit foemini Generis.* Scio,  
 Enallagas Generis commemorari; sed vereor, ne librariis  
 debeantur multe ejusmodi figurae, ut vocantur, Gram-  
 maticæ. En, quo admittæ, bona intentione, figurae, tan-  
 dem Criticos liberiores seducant! Sed duplex nobis hæc  
 opponenda est responsio; altera generalis, altera specialis.  
 In genere, de omnibus figuris Grammaticis observemus,  
 quas-

quasdam esse innocuas, non solum aliis linguis, sed etiam S. codici obvias, uti Syllepsis, Zeugma: de quibus hic non agitur. Sed *Pleonasmus, Ellipses, Hypallagas, Synchyses, & Enallagas*, veri nominis, & non emphaticas ac idiotisticas, nullas dari, ambabus largior. Nec omnibus, qui GLASSIVM, aliosque antiquiores, qui non satis, quid sequiorum temporum licentia inde esset illatura, cogitabant, securi sequuntur, id tribuo, quod corruptionem S. Textui per illas figuras inferre intenderint, sed potius, ut dubia quædam, quorum solutio ipsis non statim succurrebat, eo facilius solvant. Hi itaque ad objectionem *Cl. Clerici* respondebunt: in locis illis non adesse menda, quia figuræ illæ ibi adsint, Nos, magis cauti redditi, locorum illorum tales subministramus expositiones, ut omni errori, simul tamen etiam figuræ (quæ erroris suspicionem peperit) rimam obstruamus. In specie ad nostrum quod attinet locum, nec Enallagen, nec corruptionem textus hic admittimus. *Vir Cl.* putat, רעוּ esse foeminini Generis Nomen; est autem *Infinitivus* Verbi ירע *scivit*, Nominascens. Nec usus Biblicus id jubet, ut foeminino Genere hoc רעת accipiamus, quando, Nominascit. Occurrit potius Masculino Genere. *Prov. II. 10.* ורעוּ לנפשך ינעם & *scientia erit anima tua amoena*; non dicitur in Foeminino הנעם, sed in Masculino ינעם. *Prov. VIII. 10.* רעוּ מחרוץ נבחר *scientia præ auro est electa*, Masc. Genere נבחר, non נבחרוּ in Foeminino. *Prov. XIV. 6.* רעוּ לנכון נקל *scientia est prudenti facilis*, non נקלה.

נקלר. Nec Jer. XXII. 16. Foeminino Genere adhibetur: והלתי הינה ודעתי אחי, quia הינה Neutro Genere debet verti, & sensus est: *Annon hoc est me nosse?* Nec novi exemplum, ubi דעתי ut Foemininum adhiberetur. Sed fac ita esse: quid tum? De Genere Nominum non ex Lexicis, sed ex usu Biblico judicari debet: &, si Nomen quoddam ibi vel semel in Masculino occurreret, quod alias est Generis Foeminini; id rectius pro Nomine Generis Communis, quam locus pro erroneo, haberetur. Tandem nec in nostro loco ברור cum דעתי, ut Adjectivum & Substantivum, cohereret, sed sensus est: *Quod attinet ad scientiam labiorum meorum, loquuntur* (labia nempe mea) *electum*, Genere Neutro, nempe ברור דבר *verba electa*, ut R. ABEN ESRA recte exponit. Duo nempe Elihu hoc versu de se dicit, 1) quod verba, quae profert, sint rectitudo cordis sui, s. quod non falsa proferat, 2) quod, quantum labia sua eloquentiam sciant, electa & svavia verba eligere velit. Sic ne quidem umbra corruptionis adest. Vt cum CICERONE de *finibus bon. & mal. T. IV. Opp. p. m. 132.* exclamare de hoc telo, in S. codicis integritatem retorto, possim: *o plumbeum pugionem!*

### JOB. XXXIV. 14.

Mutare hic aliquid in S. textu vult Dn. CLERICVS, sed paullo fluctuat, quid mutet: *Si תכל thebel, sit foeminini generis, ut deberet esse, si conjungatur cum כולל chullah, tota, in antecedente versu: hic oportet*



teret legi *אלה* *eleha*, ad eam; aut si sit masculini, de-  
 beret legi in eo versu *כלו* *chullo*, quod magis placet.  
 Neque enim credibile est, vocem, licet *ετινωον*, in uno  
 eodemque verborum circuitu, conjungi, nunc cum Pro-  
 nomine masculino, nunc cum Foeminino. Sed facile &  
 hoc dubium est. Quæ interpretes diversimode ad  
 hunc commentantur locum, huc referre nolo. Ex  
 inductione etiam locorum Biblicorum satis patescit,  
 quod *תכל* sit Gen. Foeminini, & quod per consequens,  
 vel ipso *Dn. CLERICO* iudice, *כלה* *v. 13.* sit integrum.  
 Nec *אליו* *v. 14.* in *אליה* mutari debet. Nequaquam  
 enim hoc ad *תכל* referri debet. Ipse & CLERICVS,  
 quasi oblitus sui, tum in *versione*, tum in *Paraphrasi*,  
 non ad *תכל*, sed ad hominem, ad Jobum, refert. Ex  
 hac vero sententia *אליו* nullo penitus modo in *אליה*  
 mutari posset. *Dn. Fortium in b. l. in Paraphrasi*, ad  
 Deum hoc *אליו* respicere, credit, cum scribit: wenn  
 Er (Gott) seine Krafft (qua orbem conservat) nicht  
 mehr ausstrecken / sondern an sich halten und sel-  
 bige wieder zurücke ziehen wolte: so würde alles  
 Wesen wieder in sein Nichts fallen. Cui hoc placeret:  
 is textus vocem *אליו* maxime sinceram crederet. Qui  
 cum S. SCHMIDIO, hoc *אליו* ad hominem in genere  
 referunt: pariter illud immutatum retinere debent.  
 Est tamen adhuc alius etiam modus, quo sinceritas  
 textus servari potest. Notissimum vel S. linguæ tyro-  
 nibus est, quod tam Masculina, quam Foem., aliquando  
 Genere Neutro adhibeantur. Si itaque primum *אליו*

in *Genere Neutro* acciperem; corruptionis suspicio abesset, & hic sensus: *Si* (Deus) *ad illud apponeret cor suum*, h. e. si Deus hoc decerneret: *Spiritum & animam ejus* (omnis hominis) *ad se colligeret*, ut veniat per mortem ad Deum judicem, *Kob. XII. ult.* Tunc (v. 15.) *expiraret omnis caro &c.* Sic nec *Schmidianum Asyndeton* requiritur. Omnibus hic quidem modis textus integritas servatur; fateor tamen, omnium optime se mihi probare eam exegesis, qua hoc אליו ad hominem, h. e. totum genus hominum, refert, hoc sensu: Si, Deus pœnali modo, cor suum ad hominem ponit, ut eum nempe puniat & extirpet: tunc colligit ad se & spiritum ejus. In præcedentibus enim & hoc ipso in versu, in רוחו & נשמתו, ad hominem, cujus v. u. fit mentio, sermo dirigitur.

### JOB. XXXIV. 18.

Integritati, quam tamen nunquam amisit, restituere textum vult *Cel. CLERICVS*, vel adjiciendo ה, vel ה in ה mutando, addita *Ellipsi*. Scribit: *simplicius est, vertere, quasi scriptum esset, התאמר bathomar*, an dices? Facile litterula excidere potuit, præsertim ob similitudinem וּבְהוֹרֵהוּ הָאֵשׁ, quod præcedit. Immo posset etiam mutari התאמר in האמר ut desit interrogationis nota, quæ facile suppletur, nec semper exprimi solet. Habemus hic exemplum, quomodo Ellipsis, nimis secure ad adyta S. Scripturæ admissis, seculum nostrum abutatur, ad tollendam, quantum in se, certitudinem medii salutis,

tis, verbi divini. Ellipsis *Clericus* suam tandem sur-  
 perstruit S. Scripturæ reformationem. De prima enim  
 conjectura sua, quod ה ob præcedens ה fuerit a scriba  
 quodam prætermisum, videtur ipse desperare, cum  
 secundam subdit emendationem. Est etiam re vera  
 maxime improbable, tot scribas, Hebraicæ linguæ non i-  
 gnaros (tales enim solum antiquis temporibus descri-  
 pisse Hebræum textum, ipse Dn. CLERICVS forte da-  
 bit) prætermittere potuisse ה, sine quo nullus, textus  
 conveniens, sensus esset, iudice *Cl. Clerico*. Annotasset  
 enim hoc vel decimus, vel centesimus demum descri-  
 ptor, & alios consulisset codices. Nec felicioris in-  
 ventionis est secunda Clerici conjectura, quod ה in ה  
 transire, & aliud ה per *Ellipsin* suppleri debeat. Duo  
 sic concurrunt, ad textum perdendum, monstra, corru-  
 ptio textus, & Ellipsis. Antiquitus etiam nostram ob-  
 tinuisse lectionem, vel ex CHALDÆA, SYRA, GRÆ-  
 CA & VVLGATA versione, patet. CHALDÆ-  
 VS, si תאמר, vel התאמר, ut V. C. vult, legisset: non  
 vertisset למלכו רשעו i. e. *an justus*  
*est, DICERE regi, o impie.* Hoc suum כשר addidit,  
 quia תאמר nostrum intelligere aliter haud potuit, quam  
 quod sit *Infinitivus*. SYRVS etiam interpres, qui sua  
 ex illa versione hausisse, censendus haud est, non legit  
 תאמר, vel התאמר, ut *Clericus* vult, sed litteras Hebræi  
 textus retinens, sensum alium expressit, vocem hanc  
 exprimendo, מלך, qui dicit de Rege iniquitatis, sive in-  
 quo, o Rex Principum, Rex Regum. Ita Syriaca potius  
 verte-

verterem, quam cum WALTONO. LXX. Viri, ut dicuntur, errarunt clarissime in versione, vocem versus præcedentis ultimam וְרַשָׁיִם ad hunc referendo, & דֹּסֶ־בֵּזִים vertendo, quasi esset רַשָׁיִם. Errant etiam in voce controversa הַמִּוֹר, quam ὁ λέγων exponunt, ac si legissent, הַמִּוִּיר. Servant tamen nostræ lectionis litteras, & voci, ex ingeniiis, addiderunt alias vocales, quæ, cum huc relata voce versus præcedentis, convenire videbantur. VVLGATVS pariter litteras nostras servat, & saltim, ut הַמִּוִּיר, erronee legit: *Qui dicit* &c. Ne tandem Vir Cl. dicat, impedit tamen locum nostrum fluere, sine tali correctione textus: agedum, exponamus locum sine figura, ad litteram: *an est dicere ad Regem, homo nauci? vßlegt man wohl zum Könige zu sagen: Du nichtswürdiger Kerl?* Notum enim est, quod idiotissime Infinitivo addatur, in tali constructione, *est*. Conf. e. gr. *Jes. XXII. 13.* Quod autem talismodi quæstio de eo quod fieri, vel non fieri, soleat, soleat intelligi, vix in dubium vocabitur, cum vel GLASSIVS jam regulam tradiderit, quod quædam verba de consuetudine debeant intelligi, nec tantum Futura e. gr. *Jer. LII. 25.*, sed etiam Participia *Jer. LII. 25.* מַצְבֵּי, & Infinitivi *Gen. XXIV. 11.* פָּרַח &c.

### JOB. XXXIV. 31.

Tertiam etiam figuram violentam, *Pleonasmus*, *Cel.* CLERICVS hic in subsidium vocat; vel, nisi *Pleonasmus* admittatur, erroneum pariter agnoscit hunc locum.

cum. Scribit enim: *Videtur hic כ' abundare, ut alias non raro; nisi forte ita scriptum sit pro מי, quis; quod non absurde quis posset suspicari. Quod si admitteretur, pro hamor, efferendum האומר haomer, dicens, hoc sensu: quis est, qui dicat Deo?* Sic non saltim vocales murat, sed & כ' in מי: quæ duplex, in uno hemischio, mutatio, vix ulli placebit, nisi illi, cui omnia nova placent. Testimonium etiam קָ כ' præbent LXX-Viri, qui illud, כ' per suum עָי satis clare exprimunt. CHALDAICA autem versio non tantum האמר כ' antiquum esse, docet, sed etiam vocales vocis genuinas, & significationem passivam adesse, confirmat, hac sua hujus loci versione: ארום לאלהא אפשר לראחאמר סוכרו לראחאכורא i. e. *Nam, an possibile est, dici ad Deum: sustinui, non disperdam?* Hic sane כ' per ארום & האמר passivum per אראמר, manifesto exprimitur. כ' nostrum & suo tempore in textu fuisse, SYRVS, alia licet versione, suo אָרָא confirmat. Vir Cl. tamen adhuc observat, Infinitivum Niphal non האמר sed אראמר, cum Zere sub ה, esse debuisse: & sic potius esse Radicem ipsam cum ה interrogativo. Sed nec hoc insuperabile est argumentum, ut ad corruptionem nos compellat. Habemus enim Inf. Niph. אראמר Ezech. XLIII. 18., & אראמר pro אראמר Ezech. XXVI. 15. Quid prohiberet, etiam scribi אראמר pro אראמר? Patet sane pro Zere ante ר venire, notissimum

est. Sensus etiam adeo durus non est: *Num ad Deum est dici*, solet ab hypocrita tali, si non ore, corde tamen, dici: *tuli jam, quæ ferre debui, jam pignori non ero, s. jam non perdar a te, justus sum?* Sed sit ita, videatur hoc tibi durum: sit tibi אמר plane regulare, nempe 3 *Prat. Kal.*, cum *interrogativo*: locus clare satis fluit: *Amenim* (hypocrita ille, de quo versu præcedenti agitur, & de quo hoc loco continuari sermonem, dubio caret) *ad Deum dixit* (vera poenitentia scil. ductus): *superbus fui, peccavi, ne perdar, quæso, remitte peccata?* Ita hypocrita non dicit. Res est, ita sentienti, in salvo, & suspicio fundamento destituitur.

### JOB. XXXVI. 32.

Ipsæ *Cel. Vir* hic pro integritate S. codicis intercedit, statim ut eam labefactare voluit. Scribit p. 150. *Fateor, antecessisse* אור *Masculini Generis, cum* עליו *balea, ad foemininum referatur; sed forte scribendum* אורי, *aut forte scriptor s. hanc vocem in animo habuit. Apud optimos scriptores saepe constructio sit* πεὸς το σπουδαίωμενον. Hoc enim ultimum si verum, & sine vitio esse, fateamur: ideo ad corruptionem nos depelli non patiemur. Sed, meo judicio, hoc ipsum עליו non ad אור referri debet, sed Genere Neutro exponi, h. m. & de hoc (quod hactenus exposui) præcipit Deus, propter (ב) *intercedentem*, sive propter deprecantis intercessionem. Ita vel res in vado erit.

JOB.

## JOB. XXXVI. 33.

In *Paraphrasi* quidem Dn. CLERICVS hunc ver-  
sum interpretatur: *ideo non desunt hominibus pecudes,*  
*quas Deo offerant, de quibus ab amicis suis monentur.*  
Pendulus tamen hæret, anne locus noster sit corruptus,  
cum huc facere ipsi non videatur: *Si alium librum in-*  
*terpretaremur,* ait, *vix dubitare possemus, quin esset*  
*aliquid hic, longinquitate temporis, aut corruptum, aut*  
*omissum, aut luxatum.* Sed bene agit, quod reveren-  
tiam S. Scripturæ h. l. exhibere vult. Fortè nec male,  
quod non expresserit, quid mutandum & restituen-  
dum, dicitet; cum, procul dubio, facilius id confuta-  
ri potuisset, quam ipse refutare posset aliorum exposi-  
tiones, ut putat. Jam vero, cum non expresserit,  
qualem desideret emendationem: impossibile est, aliter  
in præsentis loco versari, quam ut veritatem paucis  
adstruamus. Et quidem V. Cl. contra *Regulam* suam  
*primam* agit, quæ exigit, ut nihil, nisi summa urgente  
necessitate, mutet. Ipse adeo nullam vidit necessita-  
tem, ut potius ipse duplicem modum ostenderit, hoc,  
a se intempestive motum, dubium, evitandi. *a)* In *Para-*  
*phrasi* aliquam, nec adeo absurdam, connexionem ver-  
sus hujus cum præcedentibus, ostendit. *β)* In Notis,  
versum hunc Parenthesi includendum dicitat, tan-  
quam verba S. Scriptoris, referentis, quod Elihu per  
aliquem suorum interpellatus fuerit. Est enim & hoc  
tolerabilius, quam errores sacro tribuere textui. Erro-  
nea

nea etiam forſitan lectio vocis עֹלֶה *adſcendens quam* עֹלֶה *holocauſtum*, legit, Virum Cl. ſeduxit, ut nullum ſenſum ad eſſe crederet. Mitto aliorum varias exegeſes, quas in POLO, MERCERO, SCHMIDIO, aliisque legere datur. Simpliſſimus mihi hic videtur ſenſus: *Annunciabit de hoc* (omnibus nempe illis operibus Dei) *proximus ejus* (hominis nempe, de quo ſermo eſt), h. e. omnes homines alios his de majeſtaticis operibus Dei ſatis convincent. *Grex etiam* (nempe annunciabit, ipſoque paſtu & pinguedine ſua, reſtabitur) *de adſcendente*, ſ. gramine, ubertim, per benedictionem Dei, ex terra adſcendente. Ita omnia bene cohærent; nec ita ad vitia textus abducemur. Nec antiquæ verſiones quicquam afferunt, quod neceſſario errores loquatur. TARGVM h. l. eſt triplex, cum Autor ejus de vero loci ſenſu fuerit incertus; triplex tamen illa verſio noſtras præſupponit voces. LXX. quoque ſenes errant quidem, cum vertunt: ἀναγγελεῖ περὶ αὐτῶν φίλω αὐτῶν (αὐτῶν) κήσεις, καὶ περὶ ἀδυναίας: quaſi in מְנַחֵם non eſſet minor Accentus, nempe מְנַחֵם, quam in רַע, ubi מְנַחֵם reperi- tur; immo, quaſi non עֹלֶה ſed עֹלֶה legeretur. Interim cuius manifestum eſt, non ex aliis, quam noſtri textus vocibus, hanc verſionem ſubnatam eſſe.

### JOB. XXXVIII. 11.

Vocem וְשִׁירֵי in וְשִׁירֵי mutatam vult Dn. CLERICVS, ut pro 3. Perſona, ſecunda adſit: *hic pones flus tuos.* Rationis loco ſubdit: Sic eſt certe vertendum.



dum. Si quærimus, cur ita sit ventendum: al-  
 tum est silentium. Solum ad versionem Vulgati,  
 nos remittit, quæ habet ex ingenio substitutum sen-  
 sum: *confringes tumentes fluctus tuos*. Verum talis a  
 verbis abiens metaphrasis ad emendandum textum nil  
 facit. Provocat quidem ad LXX. Intt. ; sed illi clare 3.  
 habent personam *συμπεπλησμεναι*, & integritati textus te-  
 stimonium ferunt. *ישיר* nostrum genuinum esse,  
 tota, quantum mihi nota est, Judaica turba docet; licet  
 non æque omnes exponant. Faceor, remotior est exegetis  
 R. LEVI B. GERSCHOM in h. l. Expositurus enim,  
 quis fluctus sit cohibiturus, ait: *מי שהוא פועל אותם  
 והוא הרוח*. *Quis ille? is, qui movet illos fluctus, nem-  
 pe ventus*. Mihi quidem non est dubium, quia hoc  
*ישיר* ad *חקי* & *כריח* v. *preced.* respiciat, h. s. *ibi sistet*,  
 statutum illud meum, *vēctes, in astu fluctuum tuorum*.  
*אין* enim & per Constructum Statum & per Acc. ser-  
 vum connectitur: ut Objectum, quod ponitur, esse ne-  
 queat. Hoc magis etiam naturæ convenit, quam si *Vir  
 Cl.* diceret, quod ipsum mare sistat fluctus, quod solum  
 terræ repulsus, Dei jussu, efficit. Quod vero *Targumi-  
 sta*, de aliquali potius sensu, quam verbis S. textus foli-  
 citus, *תשוי* legit, textui opponi nequit.

## JOB. XXXVIII. 12.

Dn. CLERICVS hæc habet: *Scriptum est ידעתה  
 שחר pro quo legendum monemur, in margine, ידעתי  
 השחר jidathba hasschahhar. Potuisset hoc emendari, si-  
 ne admonitione. Est Keri & Kethif: כ' legit ידעתה  
 שחר*

עוהר cum ה Paragogico, Verbo adjecto, quod non raro occurrit, qualia exempla vel tyrones in WASMVTHI *Hebr. restit. Reg. 22. M. 2. ann. 1. p. 35.* evolvere possunt; ק' vero legit ידעוהשחר, ut Nomen habeat ה Demonstrativum. Viramque lectionem Masorethæ prudenter hoc Symbolo conservarunt. Vid B. HILLERI *Ketbif. & Keri. p. 142.* Ex ק' vero & כ' errores textus exsculpi non posse, jam diu Critici evicerunt. Præterea hæc ad præsentem materiam, ubi disputamus, an dentur in textu S. errores universales, non pertinent, quia alteram lectionem V. Cl. approbat. Sensus quoque, tum sec. כ', tum sec. ק', plane idem est: ut hic necessitatem erroris quærere, sit nodum in scirpo quærere.

300 חלוק יבדיע **JOB. LXI. 25.**

Penultimus hic, nisi fallor, locus est, quem Dn. CLERICVS corruptionis arguit. Et litteras quidem hoc in loco salvas relinquit; vocales vero mutare intendit. Verba ejus hæc sunt: *Non absurde conjecerit, qui putarit, punctandum יראה* terrebbe in Pibel, a verbo יראה *jare, timuit, Vid. 2. Sam. XI. 15. & Neb. VI. 19.* Sed anceps hæreo, an mendum adfit typographicum, in indice mendorum omissum, an vero Vir Cl. aliquid humani fuerit passus. Ex יראה enim in 3. Fut. Piel, non oritur יראה; sed hæc forma est 3. Fut. Niphal R. יראה. Ex יראה foret יראה, si occurreret; sed in S. codice Fut. Piel hujus Rad. non reperitur. Si itaque Cl. Vir nihilominus vellet, ut Fut. Piel ex יראה hic scribatur: info-

solentem formam proponeret, contra Regulam suam. Si vero ראה retinere mallet: non terret, sed videbitur, apparebit, vertere illud deberet; sensu plane huc non quadrante. Ex ראה vero nostram vocem esse, agnovit jam Chaldaus, suo ירמי contemplatur, item Syrus suo یرمى quod videns est, s. videt, & Arabs suo یرى videt. Nec alicujus ponderis est ratiuncula Viri Cl., cum ait: *Si nihil est mirabile, si videat, qui oculos habet.* Verum non simpliciter, quod videat, dicitur, sed quod omne alium videat. In hac autem phrasi exponenda, non omnes idem dicunt. R. AB. ESRA h. m. exponit: מרוב ארכו כאשר יגכה ראשו על המים, propter excellentiam longitudinis suae, quando caput suum super aquas exaltat. Huic hoc non frustra est positum, sed ad delineationem longitudinis. Communiter tamen videre per contemnere exponunt. RALBAG exponit: ראה כל גאה והכניע אותו, vide altum & deprimit illud. Affinis huic est sententia B. S. SCHMIDII, cui ראה h. l. est oppugnavit, uti 2. Reg. XXIII. 14. Nulla ex his sententiis adeo est absurda, ut mutationem textus praeferre deberemus. Mihi quidem est respicere, ut illud oppugnet, sicut leo, aliaque creaturae magna & superba, spretis minoribus, tantum in talibus robur suum exercent, quae excelsa & suo robore non indigna censent. *Respicere* notat ראה Pf. CXIII. 6. משפיל לראות רם יהוה ושפל יראה CXXXVIII. 6.

## JOB. XLII. 8.

Dum puto, praecedentem locum ultimum esse, quem

quem Cel. CLERICVS putaret in mendo jacere: in h.l. hanc ejus offendo accusationem: *Is assentimur, qui dictum putant pro כנבלה chinbalah, sive subaudiri voluerit scriptor S. כ, sive EXCIDERIT.* Sed varia sunt, quæ in his verbis Cel. Viri non probo. Non probo lectionem *chinbalah*, quin כ haberet *Dagesch lene*, & ה in fine quiescit. Sed transeant hæc. Nec probo ejus, ad errorem S. textui tribuendum, facilitatem; cum facilius sit, Ellipsin admittere, quam errorem, ad quem descendere noler mens pia, quamdiu aliud datur medium, hæc exponendi. Nec necessitas erroris agnoscendi inde subnascitur, quod *Cel. Clerico* hoc minus reverenter de Deo dici videatur: *ne agam vobiscum stultitiam.* Varie varii ad hoc respondent. COCCEJVS & alii Metonymiam Causæ pro Effectu dicunt, *faciam quod meretur stultitia vestra.* S. SCHMIDIO placet Ellipsis כ. CHALDÆVS, & qui cum eo agunt, per כנבלה intelligunt *ignominiam.* Ideo CHALDÆVS vertit קלנה *ignominiam*; SYRVS כנבלה *secundum vilipendium*, subintellecto simul כ. Sed mihi res est facilis: ל in לבלתי notat *propter*, qui significatus saepe occurrit. Loquitur enim Deus, his verbis, non de se, sed de Jobo, h. m. ejus faciem respiciam, propter non *facere* vobiscum stultitiam, h. e. ideo, quia non fecit vobiscum stultitiam, &, ut vos, inique de me judicavit.

Sic Clerici metus & suspicio erroris exulat.

רוש'לבע

01 A 6613


ULB Halle 3  
002 934 248




f

5b.







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

INTEGRITAS  
TEXTVS ORIGINALIS

J O B I

CONTRA  
JOH. CLERICI  
ACCVSATIONES  
VINDICATA

PRAESIDE

FRANCISCO WOKENIO

S. THEOLOG. L. LL. ORIENTALIVM PROF.  
PVBL. ORD. ET H. T. ACAD.

RECTORE

D. XXIII. AVG. M. DCCXXXII.

IN AVDITORIO MAXIMO

HORIS SOLITIS,  
MODESTAE DISPVATIONI  
SISTITVR

A  
BENIAMINO Francken, Lubena - Silesio

SS. THEOL. STUDIOSO.

WITTENBERGAE  
EX OFFICINA SCHLOMACHIANA.